

MEMORIA VITAE  
VIRI  
SVMME REVERENDI ATQVE  
EXCELLENTISSIMI  
IOHANNIS GOTTLOB  
CARPZOVII

S. THEOL. DOCTORIS  
SACRORVM IN RE PVBLICA LVBECENSI SVPERINTENDENTIS  
MERITISSIMI ET CELEBERRIMI  
RELIQVA

MOERENTI CALAMO SCRIPTA

IOH. DANIELE OVERBECK

GYMNAS. LVBEC. RECTORE

SOCIETATVM TEVTONICAR. GÜTTING. ATQVE IENENS.

COLLEGA HONORAR.



LVBECÆ.

LITERIS GEORGII CHRISTIANI GREENII

MAGNÆ SENATVS TYPOGR.





**F**uit CARPZOVIUS! Fuit ingens gloria Lubecensium! Fuimus a tanta Viri laude felices! Ita enim fas mihi sit hoc, quidquid est, ordini seripcionis sine proeomio, quod aiunt, quae proemium instar illud ipsum tantum nomen est. Vitam, quod additur in prouerbio (1), sine commotione animi! Atque vtrumque memini ab illo, quem lugemus, aliquando mihi commendari, quum de more hoc, quem muneris causa nunc etiam moerens sequor, in ipsius funere quondam obseruando sermo incidisset (2). Attamen neutrum nos posse praestare sentio: siquidem nomen, vrdixi, proemium est, res autem, in quibus enarrandis versabor, absque mentis impulsione vehementi nec a me scribi, nec a caeteris legi poterunt, in quibus nempe tanta vis est ad commouendum, vt, si vel aliqua pro dignitate differantur, in iis ipsis, quae moratam efficient orationem (3), simul futura sint, quae grauem reddant, et vibrantem, et incitatum (4). Adco magni sunt momenti, quae nunc age paucis enarrare aggrediar, sed paulo plenius tamen fortassis atque emendatius, quam ante nos alii (5).

**IOHANNES GOTTLOB CARPZOVIUS** introiuit in hanc vitam Dresdae, anno saeculi superioris LXXIX. a. d. xxvi. Septembris, Patre genitus **SAMVELE BENEDICTO CARPZOVIO**, Theol. D. Concionatore aulico illo tempore secundo, postea Pastore sacri gregis ad S. Crucis, exinde tandem in aula Regia et Electorali primario Concionatore sacrarumque rerum et supremi Consistorii Consiliario, Matre **ANNA MARIA**, eius Wittebergeni ex genere **OSTERMANNORVM**.

Paternae stirpis Auum veneratus est **IOHANNEM BENEDICTVM CARPZOVIVM**, Theol. D. et P. P. O. Electoralis Consistorii Assessorem, (anonium Cizensen, Archidiaconum ad D. Thomae Lipsiensem, Auiam **ELISABETHAM**, **DAVIDIS WRIEFPENNIGK**, mercatoris Lipsiensis florentissimi, filiam: Proauum **BENED. CARPZOVIVM** patrem, I. V. D. Serenissimi Saxoniae Electoris in Senatu prouocationum Consiliarium, Viduae autem Electoralis Serenissimae Cancellarium, Proauiam **CHRISTIANAM**, **SAMVELIS SEELFISCHII** filiam, Wittebergenium Consulis et Bibliopolae praestantissimi.

Maternae vero gentis Auum coluit **IOH. EHRENREICH OSTERMANNVM**, Sereniss. Electori a consiliis, in academia Wittebergeni Graecae Linguae P. P. O. Alumnum Electoralium Ephorum, ipsius academiae Seniozem, Auiam **ANNAM MARIAM**, filiam illam **BENEDICTI STRAVSSII**, Sereniss. Saxoniae Electoris et in Circulo Electorali et Wittebergae iuri dicundo praefecti.

Postridie quam natus sacro tinctus est lauacro, puer vero sexennis in disciplinam traditus sanctissimam **VALENTINI SCHVLTZII**, Diaconi tum Bischofswerdenfis, adepti postea Pastoris dignitatem Schandauiae, quod oppidum est propter Albim supra Regium Lapidem in Misnia prope fines Bohemicos situm. Cuius viri optimi atque dexterrimi opera, animo semper agnita gratissimo, quum in elementis verae religionis Christianaeque pietatis linguarumque Latinae et Graecae, tum in primis praecipue Dialecticorum atque Rhetorum et aliis disciplinis, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, insigniter breuiter profecit, ingenii diuinioris et industriae indefessae subsidio, et eo progressus est, vt saeculi anno **XCVI**. aetatis septimo decimo idoneus haberetur lectionibus academicis.

Ad quas feliciter ordiendas a patre missus est primum Wittebergam, vbi commendatus praecipue clarissimo **ROEHRENSEE**, P. P. O. amico paterno inunctissimo, et quae haecenus omissa fuerant, compensauit, et quae dilata, perfecit. Itauit enim statim ad virum summum **GOTTLIEB WERNSDORFFIVM**, eo tempore A. M. et ordini philo-

(1) *ἄνευ προεμιου καὶ παύσεως*. Dicitur enim sane vetus prouerbum, quia recessum est ab **ERASMO ROTERODAMO** Chlid. III. Cent. III. 96. Quod voluit praecipuum fuisse oratoribus Atticis apud Aepagogum dicitur. **GESNERI** Chritomath. Cicer. VII. 2. Quamquam illud se nunquam in antiquis auctoribus legitis faceret **HERON WOLFVS**, caeteroquin in eiusmodi rebus verissimus, ad **ISOCRATEM** fol. 475. **CONFIOH. SCHEDII** Aepagogus c. VI. §. 6 et c. VIII. §. 3. Witteb. 1677. 4.

(2) Immo haec verba lego in schedulis, quibus ista scribens vixit: *Meinen Lebenslauf bitte ohne proeomium καὶ παύσεως abzuschaffen. Denn wie ich in meinem Leben aller Ruhmraethigkeit und euerer Ehre feind und zuwider gewesen, so wunsche auch im Tode, wie demuethig und zu-*

*schlagen für Gott, also bescheiden für der Welt erfunden zu werden. Bene qui laetit, bene vixit. Adidum est nomen Iohann Gottl. Carpzov. D. nppr. Item alibi verba ista: Bitte demnach dienstlich - - ohne eiuigen vorhergehenden Eingang in beliebiger Kirrtze (meinen Lebenslauf) in bessere Form zu bringen. Tob. Gottl. Carpz. D. Lubecae d. 20. Jun. 1743.*

(3) *ἐν τοῖς ἤθεσι*.

(4) *τὰ πάθη*.

(5) Vt Rev. **IAC. BRVCKERVS** in Pinacotheca Decadis III. A. 1746. fol. No. 4. Ven. **GABR. GVIL. GOETTENIVS**, vir longe meritis atque doctissimus, in dem iteliebenden Gelehrten Europa P. I. p. 16. n. 149. caet. Quos partim institutum ipsum, partim aliae rationes, impediuerunt, quo minus, quae cognita digna erant, omnia afferrent.

philosophorum Adiunctum, vt eius ope separatim vtendo et solus, quum in omni disciplina, quae humanior appellatur, animum, tum in primis in latina lingua filium exerceret, apud quem praeterea et Logica praecepta et pneumatica penitus imbibit. Deinde profecit in Metaphysicis apud WOLFIVM, eidem ordini tum adiunctum, postea Diaconum Wittebergensem, in Ethicis pariter atque Politicis duce eodem, quem modo nominabam, praestantissimo RÖHRENSEE, in Historia Christiana primorum quinque saeculorum et in vtiliori lectione nouorum publicorum praeceptore SCHVRTZ-FLEISCHIO, Polyhistor, in addiscenda exercendaque lingua hebraica et perlustrando codice hebraico curforia lectione, doctore SEB. EDZARDO, A. M. et philosophorum ordini adiuncto, denique in notitia linguae Francogallicae peritissimo eiusdem magistro, LE ROI. A Theologo autem magno atque praclaro D. IOH. GEORG. NEVMANNO, qui erat illius academiae a bibliotheca, quum bis fere singulis diebus hebdomadibus in eam bibliothecam deduceretur & vnus erudiretur multis horis ad vno, solida imbutus est historiae literariae notitia nec poenitenda exercitatione ex libris praestantissimis, quaecumque vel vtilitate sua vel dignitate prae caeteris rebus eminent, cum iudicio ac sapienter excerpenti.

Sic biennio consumto, mense Maio anni MDCXCVIII, parentis optimi iussu Lipsiam delatus est ibidemque inquilinus et conuictor factus antiquae probitatis Theologi D. LEHMANNI, sacrarum rerum Superintendententis, viri integerrimi. Cuius paene sub oculis creuit in dies rerum praeclearissimarum scientia, donec Theologia tandem initiaretur. Ac primum quidem in omni philosophia, nunc ibi quoque discendo, nunc vero docendo, progressus fecit eximios, auditor scilicet HARDTII in rebus Physicis, MENCKENII patris in Ethicis, WERNHERI tum A. M. post aulico Imperii iudicio adscripti, in Mathematicis, doctor vero aliorum post sumtam eodem anno philosophiae lauream, sequenti a. MDCXCIX. mense Augusto scriptis duobus libellis & publice suo moderamine discerptis de eo, quid veteres philosophi de natura Deorum senserint, magisterii dignitatem, et Metaphysicas aperuit scholas et Pneumaticas, omniaque ista suscepit eo, quo praestantior euaderet Theologus. Euasit autem maxime quum linguas diligentissime colendo, Graecam, legendis praesertim Poëtis Graecorum, duce vnus vnico HER-RICHIO, Scholae Nicolaitanae Rectore emerito, cuius ipsius Graeca poemata CYRILLI nomine exstant, Hebraicam atque Chaldaicam, addita lectione Rabbinnica, doctore STARCKIO patre, A. M. tum dogmata ipsa Theologiae percipiendo, et tradita sibi et ab aduersariis vindicata virorum industria longe probatissimorum, SCHMIDII, commentantis ad Systema SCHERZERI, ITTIGHI, explicantis ALBERTI librum, qui dicitur Interesse religionum, SELIGMANNI, libros enucleantis, quos vocamus Symbolicos, tum denique disputando exercitii causa, moderatoribus nunc eodem SCHMIDIO, nunc GVNTHERO, Theologiae Licentiato. Quibus rebus accesserunt et munita et officia, denique praecepta, adiumenta, officia, duorum patruorum, vnus IOH. BENEDICTI, Theol. D. et P. P. O. et ad D. Thomae Christianarum ouium Pastoris, a. MDCXCIX. defuncti, alterius FRIDER. BENEDICTI, Magnif. Senatus Architecti, Polyhistoris et Musagetae celeberrimi.

Duos ita cum dimidio annos Lipsiae commoratus, cuius quintum in annum academicum, studia Theologica nondumne, vt hodie loquuntur, absoluerat? Nondum scilicet, vt agnoscas abunde temporis illius rationem, qua facti sunt olim multi atque magni Theologi, factus quoque est et formatus CARPZOVIVS. Anno enim MDCC. vix peracto sacro Michaëlis, abiit ex auctoritate patris Altorfium, vbi plus posuit industriae in scientia sacra colenda atque munienda veteranus, quam alii solent rudes atque nouitii, praestitit, quum nullam videret opportunitatem sibi deesse discendi. Quocirca Physicorum placita experimentis sibi declarari vidit a STVRMIO patre, sacrae vero Exegeseos a D. WEGLEITERO, cuiuscumque generis periculis. Nec minus Rabbinnica denuo tractauit accurata diligentia, duce praestantissimo D. WAGENSEILIO, cuius etiam hospitii necessitudine vsus est atque conuictus, cuius eiusdem et Thalmudicas auscultauit lectiones et eas, quae ad creandam facerent cultus diuini publici, quem obire solent Pontifici, pleniorum notitiam. Maxime vero se adiunxit eruditissimo Theologo summorumque meritorum D. CHRISTOPHORO SONNTAG. Graecae Linguae P. P. O. Theologiae Primario eidemque Antistiti, quem patris instinctu studiorum illic loci fere omnium moderatorem habuit. A quo non modo dogmata sacrae veritatis iterum accepit, sed et, qua ratione defendi possint ab aduersariis et horum errores proflernere, praecepta, magisque didicit rectam semitam rerere interpretandi sacrum codicem, enucleandis praecipue D. Hoseae vaticiniis et explicanda D. Pauli epistola ad Romanos, atque imbibit, quoad eius fieri potest, concionandi apud populum et literas quum Syriacas, adhibito quoties exercitiorum genere, tum, habita poetarum in primis ratione, maxime Aristophanis, penitus Graecas. Cuius praeterea Viri summi sub moderamine quemadmodum in ipsis eius penetrabilibus, remotis omnibus, praeter ipsius duo filios, arbitris, cum iisdem exercitii causa saepe conflitando, libros, quos Symbolicos appellamus Lutherani, maximam partem cupidissima mente versauit, ita publice non modo, quoties

tulit armā contra, profecit insigniter, sed maxime bis, quum scriptos saeculi huius anno I. duos libellos, alterum a se de Synagoga cum honore sepulta, alterum a SONNTAGIO de differentia inter baptismum Christi et nostrum, a commilitonibus contra factantibus egregie tuitus est.

Ac ne sic quidem finis erat Altorfii curarum et exercitationum, nisi a Patre Lipsiam reuocatus esset et audire denuo iussus ITTIGIVM eiusque viri magni non hospitium modo sed et ambire conuictum. Atque vix horum factus erat votorum compos, quum sua sorte laetantem subito nata occasio externas videndi oras opinione citius abstraheret. Accidit enim, vt, quum a Poloniae Rege Potentissimō et eodem Saxoniae Electore Legatus extra ordinem in Angliam mitteretur ad Annam Magnae Britanniae reginam is, qui eidem regi simul a consiliis erat et sanctioribus et bellicis, CHRISTOPHORVS DITERICVS BOSEN, filius, vir generosissimus, ab hoc ipse concionator ad illam peregrinationem electus, iter vna in Hollandiam Angliamque, anno saeculi III. mense Ianuario ingressus, aliquot menses continuaret videretque in Anglia quum homines multos, tam quoque res varias, quibus noscendis auergeri se sensit experientia, et doctrina et prudentia, vt Londini BEVEREGIVM, ALLIXIVM, GRABIVM, BENTLEIVM, IANAM LEADAM, vna cum fanatica sua societate, quam ipsa philadelphicam nominabat, QVAKERORVM coerum publicum, Iudaeorum Synagogam, Oxonii HVDSONVM, cui commendatus a MENCKENIO Praeceptore quondam suo erat, et Theatrum Sheldonianum et id ornantia marmora Arundeliana, et Bibliothecam Bodleianam, et aliquot aedificia ex illorum genere, quae Collegia dicuntur.

Ita spatio semestri iucunde in Anglia et vtiliter absoluto, ab eodem BOSENIO, qui mense Iulio reuocatus a Rege ad exercitum faeuente bello Gallico federatum in Britanniam proficiscebatur, in Belgium deductus est ibidemque sibi relictus. A patre quoque veniam nactus haecit duo menses Lugduni Batavorum, TH. CRENII et conuictor et in Historia literaria, quatenus res Theologicas attingit, singularis auditor, vt et IACOBI TRIGLANDII, Theol. Professoris Primar. in scholis ad GOODWINI Mosen et Aar-nem. Quo tempore eodem saepe Disputationum confictus publicos spectare solitus est HERM. WITSII et IOH. MARCKII, saepe Bibliothecam ingressus publicam, saepe conuersatus cum GRONOVIO, saepius etiam cum IAC. PERIZONIO, a quo parui quondam amico, FRIDER. BENEDICTI, quocum ille literarum habuerat diligentissimē commercium, multa accepit et officii documenta et humanitatis.

At longiores multo moras traxit Amstelodami. Qua in ciuitate non modo GVII. SVRENHVSIO adiutore priuatim aliquot libros perlustrauit Thalmudicos, sed et praeter Iudaeorum Synagoga duas, Lusitanam atque Germanicam, ritusque singulos in vtraque obuios, alia penitus noscere studuit hominum conciliabula varie de variis sententiam religionis partibus, vt Arminianorum, Mennonitarum, Quakerorum, Socinianorum, Becke-rianorum, denique GICHTELII et sociorum. Saepe praeterea sermones misit cum Arminianorum professoribus, LIMBORCHIO et CLERICO, eorumdemque conciona-tore CASPARE BRANDT, itemque cum antesignano Socinianorum SAM. CRELLIO. Rhenoburgi aliquando PETR. POIRETVM inuilit, eiusque socium SCHRADERVM, vtriusque vt magis exploraret mentem et sententiam. Tandem lustratis deinceps Am-stelodami Museis praecipuis, in his Anatomico RUYSCHII, nummario IAC. DE WILDE, nummos complexo peruetustos, vt Samaritanorum, ita Romanorum atque Graecorum, huic vrbi valedixit, domum vt rediret. Ergo salutatis obiter in Batavia quibusdam ci-uitatibus aliis, vt Delphis, Vltraiecto, Franekera, Groninga, ibidemque passim habitanti-bus viris doctis, vt ANTON. VAN DALEN Delphis, ROELLIO, VITRINGA, RHEN-FERDIO Franekerae, IOH. BRAVNIO denique et GOVSSETIO et Mathematico-rium principe BERNOVILLIO Groningae, reuisit Germaniam, et lustratis, similiter vt Baraunic, quoque Germanicis aliquot in itinere ciuitatibus, maxime Brema, Helmstädio, Brunsviga, Magdeburgo, Hala, vilitatisque viris eruditis atque celebribus hinc inde, de-gentibus, anno ad finem prono Saxoniarum.

Atque his, quae hactenus scripsi, perlectis, an mirabitur quisquam amplius, vnde ipsi venerit tanta tamque copiosa doctrina, tam vasta rerum atque literarum peritia, tanta prudentia, tam exactum veri falsique iudicium, tanta praeterea comitas, tanta et suauitas morum et elegantia, tanta sermonis affabilitas, tanta homines excipendi pro sua quem-que sorte et indole et dignitate dexteritas, tanta denique, quantam admirati sunt saepe quilibet alienarum religionum confessores, in diiudicandis hominum sententiis et opi-nionibus integritas atque sinceritas? Quantos quaeso collegit vel in his itineribus eru-ditionis thesauros! quas copias! quas denique sarcinulas! Quibus quidem in ordi-nem redigendis et vtiliter adhibendis Lipsiae, quo se primum ex itinere contulerat, occupabatur, quum a patre circa paschale tempus anni IV. revocaretur Dresdam.

Ibi vero quum et ille et ipse omnia alia destinarent animo, contigit diuinitus, vta Magnifico illius vrbs Senatu eodem anno in templo, quod vetus habet Dresda, sacer-dos Diaconi nomine constitueretur, illudque munus a. d. XXIII. Novembris, quae dies dominica post sacrum Trinitatis erat vigesima septima, feliciter ingrederetur. Ab eo-dem deinde Senatu, quem iterum honoris causa nomino, nouam Dresdam est aduoca-  
tus,

tus, vt intra patria haec moenia vacuefactis aliorum obitu prouinciis quibusdam sacris, harum illam adiret, quae ad S. crucis a Diaconorum vltimo administratur. Idque factum est adituali concione habenda VI. anno faeculi, a. d. XXXI. Ian. quae dominica illo anno haec erat, quam Septuagesimam appellant. Et alius subinde aliusque in sacerdotio ascendit, et retentus haud dubie fuisse omni studio a Dresdensibus quam diuissime, horum si ex nutu, non diuino, res pependisset. Audiebatur enim ab omnibus audibilissime, vt qui puriter accurareque et ad emendandos homines accommodatissime sacra tradebat dogmata, et in omni parte muneris caste solebat inregregue versari. Praeterea vox erat ipsi splendida et suavis et canora, et pro exigua mole corporis tenuioris admodum grauis atque robusta. Pollebat adhaec mira facundia, quae insigniter deceret loquentem, etsi minus adiuuaretur actione externa corporisque gestibus. Immo reum argumentorumque dignitate promotoque sermone & semper immiscente diuina oracula, impelli identidem atque commoueri cerneres quoslibet auditores, sicuti ipse vehementissime commouebatur plerumque, et animum studii plenum sensuque tactum ipsius veritatis et fronte et nutu totoque vultu solebat ostendere.

Quo magis hoc concedendum erat Dresdensibus, quod illud cuperent nunquam ex vrbe sua discedere. Sed aliter res cecidit, ita scilicet, vt visum erat DEO. Postquam enim patrem optimum amiserat optimeque de se meritum A. VII. a. d. XIII. Augusti, factum est diuino consilio, vt anno proximo Lipsiam a Magnifico Senatu illius vrbs euocaretur, infirmi diaconi destinatus muneris ad D. Thomae. Secutus est et A. VIII. a. d. XXIV. Iunii, quo die sacrum obitur D. Iohannis Baptistae, munus illud faustis omnibus ingressus. Cui quamquam omni studio vacabat, nihil se tamen derahere putauit, sed aliquid addere potius, si iuuenibus academiae alumnis, horum vt profectus pariter atque suos augeter, sese offerret magistrum, quum Theologiae et omnis Philologiae, tum praeceptorum artis concionandi. Quae res quo minus haberet impediementi, lauream a ven. Theologorum ordine experitam obtinuit A. IX. ac quarto post anno, faeculi tercio decimo, a potentissimo Rege Poloniae, Saxoniae serenissimo Electore, constitutus est ob merita extraordinarius Theologiae Professor, idemque A. XIV. Licentiatum ab ordine, quem dixi, Theologorum, eodemque anno, postquam caeteri sacerdotis adhuc illo superiores aut discesserant aliorum, aut diem obierant, Archidiaconus ad D. Thomae, quod munus exorsus est concione a. d. XXI. Aug. habita; denique ab eodem Rege A. XIX. ordinarius professor sanctae caeterarumque linguarum orientalium. Quo facto doctor postremum Theologiae creatus est A. XXIV.

Nec vero passus est vnquam desiderari a se quidquam, quod pertineret ad partes munerum istorum quamuis difficillimorum, in his academicorum, vrpore cuius rei testes exstant integri libri, qui per occasionem proderunt rerum partim in cathedra docendarum, partim publicis disputationibus excutiendarum, de quibus postea. Confirmant idem varii libelli quum disputandi causa, tum vt auditores inuiterentur, emissi, quorum infra quoque dabitur notitia. Denique superfluit monumenta nondum iuris publici facta, quae ostendunt etiam nunc, quid docerit in scholis suis, in quibus nunc Philologiam amnem exposuit et antiquitates Hebraicas, nunc sacra dogmata, nunc rationem debellandi contradicentium argumenta, nunc prudentiae praecepta, quam merito doctor sacer adhibet, nunc ea, quae sunt obseruanda concionaturo. Maxime tamen in his intelligentiae codicis sacri rationem habuit, explicando hanc ob causam modo GLASSII Philologiam sacram, modo ea loca diuini praeceptarum, quibus KÖNIGIVS in Theologia Positiua verae religionis dogmata firmavit (dicta classica et probantia nominant), modo Biblicas antiquitates, quatenus possunt trium ope priorum librorum Mosis, Geneseos, Exodi, Leuitici, praecipua quadam luce donari, modo GOODWINI librum, qui Moses et Aaron inscribitur, modo libros aliquot ipsos sacri codicis, quos cursorie perlustrauit, vnum poetricum, Canticum Canticorum, caeteros propheticos, scilicet Ieremiae, Zachariae, Haggaei, Malachiae vaticinationes. Ac fidei dogmata aliquando publicis confectibus academiarum more conuissus est in auditorio Paulino per annum integrum excutere, secundum ordinem, quem WANDALINVS, Danorum Theologus, obseruauit in hypotyposi. Alio tempore machinationes horum, qui adoriuntur vera dogmata, debellare domi suae docuit horis quibusdam, in quibus documenta sumit ab Atheis, Pontificiis, Socinianis, Caluianis.

Et adeo delectabatur his occupationibus caeterisque, quibus triplicis erat muneris causa Lipsiae distentus, vt nunquam se murare aut locum debere, aut vitae genus, arbitraretur et aliquoties sibi propositas a duabus aulis serenissimorum duorum Principum conditiones admodum lautas modeste humiliterque deprecaretur. Idque non immerito, quum dotibus esset omnibus largiter instructus academici doctoris, accurata rerum sacrarum et literariae perusgateque scientia, memoria prompta et tenaci, secundo ingenio, insigni facultate sermonis latini, lingua volubili, denique incredibili quadam facilitate docendi atque dicendi. Vidi enim haec omnia, quae innotuerunt aliis quoque plurimis, vidi, inquam, abunde tum, quum huius Gymnasti cuius viri summi ab ore penderem, tradentis publi scholasticae terminorum Theologicorum, qui dicuntur, notitiam, quam

quam Technologiam ille sacram nominabat. Cuius ego temporis iucundissimi optimique instituti memor ero, dum viam.

Sed vt omes sumus in tutela quadam ac custodia summi Numinis, illi maxime, qui gloriam illius maxime amplificant, ita DEO infligatorum mutauit et ille tandem consilium, de quo ante dicebam, Lipsiae suam aetatem, non alibi, degendi. Quae res ita euenit. Duae fere simul vno tempore afferebantur litterae, vtraeque Magnifici Senatus nomine perscriptae, vnae Lubecensium, Dantiscanorum alterae, quarum illae has exiguo tantum spatio anteuertierant. Illae vt rer. sacrarum Superint. apud nos munus ipsi a. d. 9. Sept. destinatum in de suscipere dignaretur, mortuo D. GE. HENR. GOETZIO, viro meritorum immortalium, haec, vt constitui se Dantisci pateretur in Gymnasio Theol. Professore et vrbani cuiusdam gregis sacri Pastorem, enixe rogabant. ille quid faceret, obstrictus a primo inde tempore iuramenti religione potentissimo Polonorum Regi? Huic posteaquam priorum aperuisset argumentum literarum, retinendus omnino videbatur in suo seruitio. Sed de alteris reitidem manifestata responsum tulit longe clementissimum, irret. libere, quoniam ita placere Regum Regi videretur, quocumque ferret ipsius animus, cui scilicet ostensus esset DEVS ipse, si modo piis precibus imploraretur, quid factu opus esset. Nec enim vllam in Rege, quin ita fieret, moram fore, modo scripto reprobmitteret, se reditum illuc, quamprimum iustis conditionibus reuocaretur. Quo facto et re continuis precibus DEO commissa communicatae cum Collegis amicissimis, DEYLINGIO, BOERNERO, KLAVSINGIO, post aliquam deliberationem oblatas conditiones a Lubecensibus accepit. Ac valedictio pro concione gregi sacro ad D. Thomae a. d. V. Decembris eiusdem anni, qui erat saeculi trigessimus, actum profectus, vndecimo post die venit Lubecam, expectatus admodum et in illo statim honore habitus, maxime post habitam die primo sacrorum Christi natalitiorum concionem aditalem, quem tantus vir merebatur, quemque nullum postea tempus vnquam diminuit.

Annon enim agnosceremus eximias dores DEI benignitate affatim in illo repositas? Annon famam? Annon merita, quae omni exinde tempore magis magisque cumulabantur? Equam partem vnquam refugit laborum, curarum, vigiliarum, vt bene esset rei apud nos sacrae? Equod fuit a se requiri aut prudentiae genus, aut pietatis, aut humanitatis? Etenim vt in templis omnibus pure succereque populo traderetur verbum DEI, non modo is, qui Collegae ipsius erant, viris laudatissimis, et exemplum praeciuit optimum, et monita suppeditauit et ore et calamo maxime salutaria, sed et his praesertim, qui fieri cuperent, illum aditum reliquit adiutore Magnifico Senatu, quem nemo postet vir bonus & veritatis Evangelicae studiosus non insigniter probare. Tum vero, quum irrepissent aliqui peregrini, qui pietatis specie fratrumque Bohemorum nomine abutebantur ad labefactandos in fide Christiana hominum animos plebeiorem, ne dicam aliorum, quam prudenter ore calamoque prouidit, ne quid res sacrae detrimenti caperet, vt nec vola, quod aiunt, nec vestigium istorum hominum breui tempore superferret! Deinde, nec enim vacat omnia proferre, Gymnasio non tantum publicis praelectionibus, quas ante memorabam, sed aliis quoque modis, saepe multumque profuit. Denique libris emissis ipsoque nomine suo gloriam vrbis decusque mirum in modum apud exteras quoque gentes fecit concelebrari. Quem virum si non iusto semper in pretio sumus habituri, verendum est, ne totus aduersum nos coetus hominum vere Lutheranorum confurgat, a quo summa identidem laudis praeconia retulit, immo posthaec quoque relaturus est perpetuo. Quid quod in ruborem nos dabunt illi ipsi, qui caeteroquin a sacrorum nostrorum formula recedant? Qui virum istum in tantum laudant et vsque laudabunt, in quantum ingenii gloria et eruditionis et veracae erga aduersarios, quoque sinceritatis intelligi in Theologo potest.

Atqui abominamur nos profecto talia, quibus meliora DEVS indidit. Visi enim sumus omnes de tanto nobis viro ad summam vsque senectutem eius gratulari: et apparet nunc quoque abunde, quanta in caritate memoria illius vniciueque nostrum, quin posteris quoque, in perpetuum futura sit. Haec igitur virum qui tandem morbus nobis abstulerit, dicemus non ita multo post. Nam de eiusdem coniugio et prole et ingenii monumentis ante dicendum est.

Matrimonio sibi iunxit Dresdae die suo natali A. saeculi VI. Virginem nobilissimam omnique virtutum genere praeditam CHRISTIANAM DOROTHEAM, viri illustris, MARCI DORNBLUTH, I. V. D. Potentiff. Polonorum. R. Elect. Sax. a Consiliis, Dresdensium Consulis meritisissimi, et SOPHIAE EVSEBIAE ex HOPNERORVM gente, filiam natu minimam, quae, quoad vixit, beatum eum fecit multiplice parte, quum pietate sua, tum amore, tum sapientia, virtute, consuetudinis morumque suauitate, quibus ille de causis gratissimo semper animo praedicauit diuinam bonitatem, sed et parentem satis numerosae prolis, duarum in primis Filiarum, quae solae nunc apud nos sunt gentis illius superstites, ex quarum vtraque multa sibi vidit gaudia subnaeci, ex altera quoque tres nepotes, vnquamque neptem. Coniugem vero illam longe carissimam mense primo post peractum A. LVI. sacrum saeculare gamicum a. d. XXI. Nov. amissit, quo magis filiarum, in primis natu maioris, adiumentum se habere in orbitate sua senilique aetate gaudebat. Sed totius aegae stirpis rationem breuiter iuuat indicare.

Prima

Prima proles, filius GOTTLOB BENEDICTVS, natus A. IX. a. d. XII. Febr. eodem anno a. d. XV. Aprilis expirauit. Altera, filia CHRISTIANA CHARLOTTA, quam lucem adpexit A. X. a. d. VI. Iun. eandem reliquit A. XII. a. d. XXI. Febr. Tertia, iterum filia, SOPHIA BENEDICTA, vitam ingressa A. XI. a. d. XIX. Aug. elocabatur A. XXXVI. a. d. XIII. Decemb. viro nobilissimo et de patria meritissimo HERM. ADOLPH. LE FELVRE, I. V. L. reipubl. Secretario dignissimo. Sed eheu coniuge optimo orbeta est A. XLV. a. d. XIV. Iul. Quarta, itidem filia, IOHANNA FRIDERICA, in lucem edita A. XIII. a. d. XXI. Febr. matrimonii lege viro iuncta probo et laudabili ex mercatoribus Lubeceusibus BERNHARD. CAROL. FVRSTENAV A. XL. a. d. III. Mart. priuabat eodem fati necessitate A. L. a. d. XIX. Nouembr., enixa postquam fuerat filios tres, vnam filiam. 1) IOH. GOTTLOB A. XLI. a. d. V. Aug. Juris hodie Candidatum dignissimum. 2) HERM. EBERHARD. A. XLII. extinctum anno infelicitur XLIII. 3) DOROTH. BEATAM A. XLIII. a. d. VII. Aug. locatam A. LXIII. a. d. X. Mart. viro nobiliss. HENR. BALEMANNO, Medicae scientiae Doctori experientiff. sed eandem Huius morte, infecuta eodem anno a. d. XVIII. Decemb. viduam. 4) GERHARD. HENRICVM A. XLV. a. d. XII. Apr. operam mercaturae dicantem. Quinta autem proles mascula A. XIV. a. d. XIV. Sept. sexta, femella A. XV. III. a. d. III. Iul. septima denique A. XVIII. a. d. XVII. Sept. et Octaua A. XXII. a. d. IV. Iul. vtraque mascula, prodierunt viuientium in oram mortuae.

Iam, quae reliquit, ingenii copiosaeque doctrinae et susceprotorum munus momentanea publica, sic recensēbimus breuiter, vt maiora praemitamus minoribus, ac caeteroquin temporis rationem habeamus. Ponantur ergo

### I. LIBRI MAIORES.

- 1) Introductio ad libros Canonicos Bibliorum Veteris Testamenti omnes, praecognita Critica et historica et auctoritatis vindicias exponens, Lipsi. 1721. 4. Totum opus scilicet isto anno, quum prodiret eius pars tertia, ad libros respiciens propheticos, fuit absolutum, postquam pars prima historicis accommodata libris A. 1714. lucem adpexerat, altera poetica, A. 1720. Idem aliquoties formarum ope renouatum cit.
- 2) Critica Sacra, Parte I. circa textum originale, II. circa versiones, III. circa Pseudeuocriticam Guil. Whittoni sollicita, Lipsiae 1728. 4. Ante annos bene multos iterum prodit.
- 3) Religions-Untersuchung der Böhmisch- und Mährischen Bräder, nebst D. Ioh. Hederici Beweise, daß diese Bräder weder öffentlich, noch insbesondere mit denen Gemenen der Augspurgischen Consequenz einstimmt seyn. Leipzig 1742. 8. Qui libri isto tempore prodie, quo procelli aliquot homines nomen fratrum Bohemorum Lubeam infestauerant. Qua de re superius dictum est.
- 4) Apparatus historico-Criticus antiquitatum Codicis sacri et gentis Hebraeae. Lipsiae 1748. 4. mai.

### II. CONCIONES VEL INVNCTIM EDITAE VEL SINGVLATIM.

- 1) Treuer E. herer Ab- und Antritt bey ihrem Kirchen-Amte. Leipzig 1731. 4.
- 2) Evangelische Censeln, als Gnadenfüße. Einweihungs- und Predigt einer neuen Censel. Lübeck 1732. 4. Suggestio in ecclesie in templo arcis.
- 3) Unerachtet vom auerlegten Gewissen gegen Gott und Menschen. Leipz. 1733. 4. Ein Band Predigten über Genessens- Fragen.
- 4) Heredschreit und Vorsätze der Gläubigen. Lübeck 1736. 4. Ein Band Lübeckscher Wochen-Predigten.
- 5) Predigt von der Heiligkeit des abgesonderten Volkes Gottes, über Levit. XX. 26. Lübeck 1739. 4. Prodit iterum 1740. Additur: Auszug verschiedener im Herrenbüchlichen Gesangbuch befindlich theils irigen, Quaderischen und Janarischen, theils unverständlichen und ungerimten Redens-Arten.
- 6) Vertheidigung dieser Predigt, warum die Secte der Wäderschen Bräder genauer untersuchet, deren Irrthümer angezeiget und der ihrer Verführung treulich gewarner wird. Ibid. 1740. 4. Quem libellum hic referimus, quia vindicias contra superioris concionis, cui opposita prodierat epistola, ad auctorem scripta a Ioh. Ge. Waitslinger. A. M. Concionatore hominum corundem, qui tum se et hic et in vicinia Fratres Bohemos atque Moranos nominabant.
- 7) Unterricht vom Spielen und Tänzgen in zwei Predigten, nebst einigen Anmerkungen und Anhang. Eib. 1743. 4.
- 8) Die Geistliche Fürsichtigkeit der Christen in LX Betrachtungen, Lübeck 1753. 4. Sind Wochenpredigten.
- 9) Demuthiges Dank- und Freudenopfer über Apok. Gesch. XXVI. 22. Lübeck 1754. 4. Habita publice in peragendo sacro saeculari munus sacerdotalis. Accesserunt plausus et vocatae acclamationes patronorum, fautorum et amicorum.
- 10) Der Eingang Gläubiger Christen durch den Tod in das Leben in L Betrachtungen vom Tode und XX Erklärungen von dem ewigen Leben. Leipzig und Quedlinb. 1761. 4. Sind gleichfalls Wochenpredigten.
- 11) Consilio conciones aliquot Lipsiae habitas ibidemque prelo committas, item orationem parentalem Bilem 1724. in panegyri publica recitatam in memoriam Ioh. Chrit. Buckii, Concionatoris aulici primarii, omittimus.

### III. DISPVTATIONES a) ab ipso elucubratae.

- 1) et 2) Disputationes I. et II. de veterum philosophorum circa naturam Dei sententis. Lipsi. 1699. 4.
- 3) De Synagoga cum honore sepulta, Altorff. 1702. 4. publice defensa sub moderamine. b. SONNTAGII.
- 4) De ecclesiae Iudaicae prophetis in genere. Lipsi. 1714. 4. Inauguralis pro Licentia Theol. Auctori apparuit Introductiois Parte tertia, cuius caput primum est.
- 5) De codice S. Hebraeo ibid. 1724. 4. Inauguralis pro summis in Theol. honorib. vindicias illius codicis continens aduersus Guil. Whittonum, copiosiusque deinde dilatata per omnem P. III. Criticae Sacrae.
- 6) De egyptiaca Iudaeorum ex antiquitate Iudaica. Ibid. 1728. 4.
- 7) De distalatione religiosa in loco sacro ex Ex. III. 5. et Ios. V. 15. ibid. 1729. 4.
- 8) De anno Iohelico ex Lev. XXV. ibid. 1730. 4.

- b) Defensae sub ipso moderamine, sed elaboratae a suis defensoribus
- 1) Pluralitas personarum in vna DEI essentia ex 2 Sam. VII. 23. asserta Lipsi. 1720.
  - 2) Deus caliginis incola, ex antiquitate sacra. Ibid. 1728. 4.

### IV. PROGRAMMATA.

- 1) Contra Ioh. Tolandii Atefidemonem. Lipsi. 1714. 4. Denuo comparuit in Paralipomenis Introd. ad Libb. Can. V. T. P. III. p. 470. sqq.

FKLa 5041 x 3253343

- 2) Anne consulum et e re sit ecclesiae, vt neglecta Masora e codicibus tum Manuscriptis, tum impressis Hebraicis, maxime vero ex versionibus Graecis, Samaritana et Chaldaicis, variae V. Tell. lectiones conquirantur, ad eum modum, qui in collectionibus ad N. Tell. Graecis, a viris doctis haecenus fuit servatus. Lipsi. 1719. 4. Huius perpetuum quasi Commentarium continent duae Partes priorae Criticae sacrae, quae vtiqum frenatae possent quorundam hodie licentiam!
- 3) Ad disputationes publicas in Criticam S. inuitorum. Ibid. 1721. 4. Praefissum deinde Criticae huius ipsi est post praefationem.
- 4) De necessitate et usu terminorum Technicorum in Theologia sub auspicio lectionum publicarum in Technicologium sacrum Lubecae 1731. 4. De quibus lectionibus, quae decus quondam magnaemque vtilitatem Gymnasio Lubecensi attulerunt, dixi superius.

V. PRAEFATIONES.

- 1) Ad Rumpaei Commentationem Criticam ad libros N. T. in genere. Agit de variis lectionibus in codicibus biblicis Novi Testamenti. Lipsi. 1730. 4.
- 2) Ad Carpouii artem, quae modum tradit ideam distinctam de voce Hebraea fermandi. Ibid. 1738. 8.
- 3) Zu Gottfried Schönlens Anmerkungen über die beyden ersten Sproben des Uebersetzungsstils vor drei sechshundert Jahren der Gemeinen. Leipz. 1741. 12.

Et apparet ex his monumentis omnibus abunde, quantum in illo Virum, quantum Theologum atque Philologum, quantum denique oratorem sacrum amiferimus. Gaius ille quidem erat per omnem fere tam diurnam aetatem valetudine satis prospera, si excipias illud tempus, quum traiecturum e Belgio in Angliam febris ardens corripuerat, quae tamen per DEI gratiam iter ipsum non abruptit; item illud, quum cum post annum aetatis trigelimum integris fere decem annis continuus modo malum vexauit hypocondriacum, modo febris, nunc frigida, nunc ardens, vt ex consilio Medicorum A. XII. semel Carolinis, bis Töplitzenfibus, vteretur prosperissimo cum euentu balneis; denique illud, quum ingrauescente senectute, quae ipsa morbus est, in primis post obitum desideratissimae Coniugis, aliquor insultus passus est variorum per interualla morborum. Caeteroquin dolores Arthriticos, quos interdum sentiebat ab anno inde aetatis quadragesimo, parum curauit. In primis faculare sacrum muneris sacerdotalis, A. LIV. mensē Nouemb., gamicum anni LVI. aestate, religiose admodum hilariterque celebravit. Et erat omnino spectaculum longe iucundissimum videre senem tanto natu ram vegetum iuueniliterque robustum, tam iucundum atque facilem, tam omnibus ingenii viribus valentem, etiam postremo tempore aurium sensus quodammodo, oculorum acies etiam magis, debilitaretur, tam denique ad supremum prope haurum vsque, partibus sui muneris fere quibusque fungentem, vt qui concones publicas ipsas, quibus post annum hunc demum inchoatum se abstinerat, denuo post sacrum paschale, si viuere, animo destinauerat habendas. Sed aliter visum esse DEO sapientissimo atque optimo, qui tandem fidelissimum omni aetate sacrum onere omni leuare constituerat, statim in ipso morbi vltimi accessu, manifestum fuit quum ipsi Defuncto, tum aliis. Cuius historiam, quam deunt, beneuolentia mecum communicatam ita tradidit vir nobilissimus doctiss. atque experientiss. D. HERM. NICOL. KIENMANN, medicus acturum ad Aegrotantem accessit: *Morbus viri summe reuerendi Carpsouii erat ex genere febrium catarrhalium malignarum, spatio trium dierum absolutus, conjunctus cum affectu soporoso. Statim enim sub initio, primo morbi die, cum vniuersali virium prostratione, spirandi difficultate, imaginationis lesione, testa simul inflammationis interuarnarum partium signa nervorumque resolutiones aderant. Vir summus cum vita finem sentiret, nec vincendum morbum esse iudicasset, proprio ore a me petiit, et modo si in viribus esset Symptomata leuarum. Quae, cum secundo die, mitigata aliquantisper apparerent, liberius respirandi facultas esset, pacatiorque Illustris aegrotantis status; spes quaedam incerta adstantium animos quodammodo refecit. Sequentis vero noctis inquietudine, vehementiaeque morbi sub ortu tertii diei, quam iterum supra dictae imbecillitates ingrauescerent, subsultusque tendinum accederent, spe sublata, vires tandem succubere labefactae, et immortales nominis Vir placide animam DEO reddidit, a. d. felicis huius mensis VII. media hora post meridiem altera, resectus fesusquioruluae spatio ante et recreatus epulo sacro, quod ipsi porrexerat adiutor eius in sedanda conscientia, vir adm. reuer. et praecleariss. GODOFR. GOTTH. KOHLREIFF, Mariani gregis sacri Pastor fidelissimus.*

Abst igitur, o, quos orbos reliquit, Filiae, Nepotes, Neptis, Agnati, Cognati, Patroni, Amici, Collegae, caeteri, abst, inquam, vt vilo modo inuidere videamini gaudia inestabilia Defuncto, qui saturatus dudum vitae huius longaeuitate desiderauit ardentissime eam, quam viuut nunc in aeternum. Coibunt enim vulnera Vestra benignitate summi Numinis, a quo, precor, vt dolor hic in posterum omni prosperitatum genere compensetur.

MAGNIFICOS vero et ILLVSTRES REIP. CONSVLES, summe ven. reu. Canonicor. Colleg. PRAEPOSITVM, Generosiss. Eorund. DECANVM, Nobiliss. Prudentiss. Consultiss. atque Experientiss. viros, reipubl. SYNDICOS itemque scientiae cuiusque DOCTORES, adm. reuer. et praecleariss. sacri Ord. SENIOREM, PASTORES atque SYMMYSTAS, nobiliss. generos. prudentiss. atque ampliss. SENATORES Reip. et PROTONOTARIVM et SECRETARIOS, omnes denique apud nos CARPZOVIANI nominis admiratores, humillime reuerenterque & humaniter rogo atque oro, sponte licet ad eam rem faciles, vt in finis prodire ne dedignentur hodie, quum solenni pompa efferendis iis, quae tanti Viri sola mortalia fuerunt, HVIC IPSI quasi iusta solentur.

P. P. ipso exsequiarum die XV. April. A. MDCCCLXXII.

VD 18

NC



MEMORIA VITAE  
VIRI  
SVMME REVERENDI ATQVE  
EXCELLENTISSIMI  
IOHANNIS GOTTLOB  
CARPZOVII

S. THEOL. DOCTORIS  
SACRORVM IN RE PVBLICA LVBECENSI SVPERINTENDENTIS

ITISSIMI ET CELEBERRIMI  
RELIQVA

ERENTI CALAMO SCRIPTA

DANIELE OVERBECK

GYMNAS. LVBEC. RECTORE

TEVTONICAR. GÜTTING. ATQVE IENENS.

COLLEGA HONORAR.



LVBECAE.

GEORGII CHRISTIANI GREENII

MAGNIF. SENATVS TYPOG.

